



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Continens Ordinem perpetuum & generalem recitandi divini Officii,  
Gavanti Vitam & Indicem Authorum, quibus Author Observat. &  
Additionum novarum usus est

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindellicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

Vitæ, Et Rervm Gestarvm Bartholomæi Gavanti Congreg. Reg. S. Pauli  
Epitome Auctore L. A.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39795**

VITAE,  
ET RERUM GESTARUM  
BARTHOLOMÆI GAVANTI

Congreg. Reg. S. Pauli Epitome Auctore L. A.



Atus est Gavantus Mediolani anno salutis MDLXIX. honestis, piisque Parentibus. qui licet fortunæ bonis non abundarent, honestum tamen gradum semper tenuerunt in Patria, in quam vicina relicta Modoetia celebri quondam Urbe, eorum Majores habitatum concesserant. Ad Sacrum Fontem Bernardini nomen illi impositum fuit, capitque ab ineunte ætate imbui litteris, ac disciplinis, in quibus progressus faciebat adeo magnos, ut quantus futurus esset matura ætate, facillè conjici posset. Adolescens adhuc clericali militiæ nomen dedit, & quatuor minores ordines suscepit. Interim humanarum rerum vanitatem, ac pericula animo revolvens, terrenarum illecebrarum laqueos evadere, Deoque se totum tradere cogitabat, quo vocante feliciter, quod cupiebat, explevit: Ingressus enim est Mediolani Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, quam Vulgo vocant Barnabitarum (quod prima, quam in ea Civitate obtinuerunt, Ecclesia, Apostolo Barnabæ fuerit dedicata) annum agens XVIII. V. Kal. Sextiles, anno à Christo nato MDLXXXVII. atque Ordinis habitu indutus Bartholomæus est appellatus: Exacto probationis anno in disciplinæ regularis studiis, & humilitatis exercitationibus, solemnibus votis se pridie Kalendas Novembris sequentis anni arctius astrinxit. Dein Dialecticæ Philosophiæ, ac Theologiæ operam navavit, quibus absolutis, cum magnam de se fecisset expectationem, licet nondum Sacerdos, ut Clericos Adolescentes Congregationis Rhetoricam doceret, Cremonam Moderatores miserunt, nec fefellit conceptam spem, ejus enim felicitatem in docendo, tradendisque artis bene dicendi præceptis abundè comprobant plures præstantes, absolutique Concionatores, qui ex ejus Schola in publicum prodierunt. Ibi Sacro Subdiaconatus, & Diaconatus ordine insignitus fuit: Inde Mediolanum Cremona profectus per manus Cèleberrimi Viti Federici Borromæi, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Mediolanensis Archiepiscopi, Sacerdos consecratur: Quo tempore cum Patres, ut honorificentissime exciperent novum Archiepiscopum Borromæum modum excogitarent, quo singularia obsequii signa ostenderent, & testarentur quantum Consobri- no suo Carolo Borromæo Sanctæ Mem. deberent, cujus beneficio, & auctoritate amplificata Congregatio fuerat; Augustino Torniello, quem honoris causa nomino, Congregationis tunc Moderatori Supremo in mentem venit, non alio, quam Literario apparatus Literatissimum, & Eruditissimum Virum excipere: illius autem probè, & ordinate disponendi munus Bartholomæo potissimum demandatum fuit, qui felici successu, politissimis metro partim, partim soluta elogiastica oratione, emblematum quoque, & impressarum descriptis, & dispositis tabulis, munere impleto, eorum etiam non paucorum adolescentum ex suis, qui alii latina, græca alii, alii etrusca lingua

Præ-



Præfuli plauserunt, hebraico ipse, quem probè callebat sermone, pervenusta habita oratione, agmen felicissimè claudit. Sacerdotio, ut diximus, insignitus Bartholomæus, Sacerdotis munera cæpit exequi diligenter; Erat propterea in audiendis sacris Confessionibus assiduus, in concionibus ad Populum habendis indefessus, quo quidem in officio sui temporis facile Princeps, Concionatores Excellentiores, vel dicendo æquavit, vel eis etiam palmam eripuit: Tanta illi erat in voce suavitas, in motu venustas, in gestu ars, tanta denique ingenii, & eloquentiæ vis, ut distinctè, explicatè, abundanter verba faciens, quod Oratoris est, moneret, doceret, delectaret. Cujus rei testis Italia, quana totam, ut animarum saluti provideret, suis laboribus peragravit. Habuit enim Conciones quadragesimali tempore in insignioribus Italiæ Civitatibus trigefies quinquies, cum magno animarum fructu, quod ipsi præcipue cordi erat, nec non sui exultatione; sibi enim eruditionis non fucata, sed solidæ famam comparavit: Ex quo factum est, quod cum iter faceret, ut morem gereret precibus, & auctoritati Summorum virorum, qui eum audiendi studio tenebantur, extemplo sapius prædicaverit, mirantibus omnibus publicè dicendi facilitatem, elegantiam, ac rerum ordinem: Hoc tamen nullo negotio præstabat Bartholomæus, quia tum memoria præditus singulari, tum studiorum assiduitate amplam rerum segetem animo complectebatur. Sacram Scripturam, sanctos Patres diù, noctuque terebat, & unius anni spatio omnia D. Augustini opera perlegit. Romæ statim ut Carolus Borromæus in Sanctorum numerum fuit relatus, hujus admirabilis Viri nomen propagaturus, ter in Hebdomada concionari est aggressus magna Populi frequentia, quam vix, ac ne vix quidem capere poterat angustia Ecclesiæ, in qua rem Divinam agebant Patres, quum Templum D. Carolo sacrum erigeretur. Tanti fuere Doctorum suffragiis pretii Conciones ejus, ut eorum exempla cogeret sapius evulgare, aliqua etiam typis commissa fuerunt ipso licet invito, inter quas una de Pace, altera de Cineribus S. Joannis Baptistæ Genuæ habitæ, ex quibus facillè est colligere, quantum dicendi laude floruerit, licet ejus voce, gestu, ac lateribus sint destituta, quæ maximo ornamento sunt Oratori. Occupatissimus ministerio concionandi, semper tamen in Choro divinis officiis interesse voluit, licet levamen aliquod cæteris Prædicatoribus dari curaverit, quum leges relaxandi animi jussu Patrum conscripsit. Sacro Quadragesimæ tempore, etsi magnis laboribus fractus, non solum abstinebat à cibis per eos dies interdictis, sed quotidiano se quoque macerabat jejuniis, semperque, ubi in Collegio morabatur, publicæ mensæ intererat. Quod multi ex Congregatione in vinea Domini laborarent cupidissimus, nunquam adolescentibus persuadere desistit, quod ad hoc Studium omnes cogitationes suas converterent: alios allicere, alios hortari, alios manuducere ubique locorum solebat. Hinc regendæ Sæcularium nobili Congregationi, quam de Pace appellabant, præfectus cum fuisset, ad eam Universa penè Civitas illum audiendi gratia confluebat. Ad Urbem missus, ut Populo saluti esset, quem in Domino diligebat, novas artes meditabatur, quibus insignia pietatis exempla ab Urbe caterarum principe proficerentur. Ob eam causam Humilitatis Congregationem in Ecclesia D. Caroli instituit anno 1611. quæ post sæculum durat, in quam Patritiæ, & Principes Famina conveniebant, & religiose piis exercitationibus dabant operam. Nosocomia invisere, suppetias ferre Periclitantibus, eleemosinas Pauperibus largiri ipsis erat familiare, tantaque fuit hujus Congregationis opinio, ut brevi auctoritate Apostolica confirmata fuerit, & Privilegiis Indulgentiisque amplissimis donata: Qualibet die Veneris hora xxii. in Templum con-



gressa, publicæ venerationi proposita Sanctissima Eucharistia, & D. Caroli aliquot reliquis, de Domini Passione ad semihoræ spatium discretem audiebant, per quadrantem meditabantur, hinc canentibus Musicis unum ex Psalmis, quos graduales vocant, aliquibus precibus exercitationi accomodatis, & hymno consueto, accepta benedictione dimittebantur. Caroli Borromæi, in quo colendo erat Studiosissimus, cultum amplificaturus, enixe repetitis supplicationibus, Ecclesiæ suæ eidem dicatæ insigne obtinuit ornamentum à Capitulo Basilicæ D. Petri, unum scilicet ex Vexillis ejus effigiem exhibentibus, quod ipso die, quo Sanctorum Catalogo adscriptus fuerat, Urbis, & Orbis venerationi fuerat expositum, quo consecuto, ut ejus translatio splendidior, & ad Populum piè excitandum efficacior foret, religiosa admodum, celebrique pompa transferendua curavit: Instituta Supplicatio certo viarum ambitu circumscripta, cui interfuere quatuordecim Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quatuor Episcopi, Prælati complurimi, Clerus, & Populus frequentissimus, cum omnia gratissimo sono, hymnis, psalmis, & tubarum etiam clangore personarent, ad Ecclesiam D. Caroli ventum est, & ibi honorificentissimè eximium munus collocatum. Interea Clementis VIII. Pontificis jussu Missione instituta, Ostiæ Portum, & ejus vicinitates cum P. D. Homobono de Bonis lustravit, illius regionis incolas ad omnem virtutem vehementer accendens, & satagens, ut frequens Sacramentorum usus revivisceret. Tot, & tam magnis occupationibus districtus pro animarum salute, & quidquid otii nancisci poterat, totus erat in Sacris Ritibus, & Cæremoniis, nihil enim ad Divinum cultum pertinens non dignum arbitrabatur, in quo curam omnem, & diligentiam collocaret, nec diu optimè instructus delituit; percrescente enim in dies ejus eruditionis, & ingenii fama in Urbe, inter sacra Rituum Congregationis Consultores adscitus fuit, in qua talem principatum obtinuit, ut tamquam oraculum docti etiam Viri ipsum consultum venirent; Tum maximè quum in lucem editis in Missalis, & Breviarii Rubricas Commentariis, lectionibus pro Sanctorum Octavis, & aliquibus in Martyrologium apimadvertionibus, eruditionis suæ fontes publici juris fecit. Memini audivisse me quondam à Religioso viro affirmari, in publica sui Conventus mensa lectum fuisse quoddam Pontificis Decretum, in quo, cum magna orta esset de ritibus disceptatio: Pontifex ut litem dirimeret: Quicquid Gavantus judicasset, ratum, ac firmum esse voluit, seque ejus Sententiæ suffragari dixit -- Certè inter peritos Viros, quos Summi Pontifices Clemens VIII. & Urbanus item VIII. in Breviarii Romani Emendatione adhibuerunt, fuit & Gavantus, ut ipse humillimè de se sentiens testatur Cap. 3. Sect. 2. in Rubricas Breviarii Romani his verbis -- *Urbanus VIII. Pontifex Maximus adhibitis aliis peritissimis Viris, & me minimo inter eos, qui & ad sui Clementina recognitioni &c.* Ipsum quoque multum operæ posuisse in corrigendis Tabulis de occurrentia, & concurrentia ex Sect. 3. cap. 6. perspicuum est. Illum propterea carissimum habuit, & summa in existimatione Urbanus VIII. & ejus suasu Rituum Congregationi, quæ in examine vitæ, rerumque gestarum illustrium sanctitate Virorum, Cardinalium tantum, & Prælatorum suffragiis agebatur, quod lectissimi, probativè Doctores ex Religiosorum Conventibus adderentur, sancivit, inter quos sua spontè ipsum adesse voluit, & primum inter Regulares subsellium obtinere. Quum Romæ moris esset sacra interdicerè advenis Presbyteris, ni sacrarum Cæremoniarum experimentum facerent, Gavanto id munus demandatum fuit; ipsoque absente facultas facta Præposito Barnabitarum Romani Collegii, unum ex Patribus deligendi, qui ipsos sacris ritibus erudiret, quem honorem Congregatio ob ejus labores obtinuit. In Generalibus Comitibus

Me-



Mediolani habitis Anno MDCXXXII. quum nihil antiquius haberent Patres, quam ut ritæ sacra peragerentur, & idem Ritus in suis Ecclesiis servaretur, intelligerentque neminem in hac arte cum Bartholomæo comparari posse: corrigendi, addendique munus in Cæremionali ejus industria hoc monito committere: *Varias diversis temporibus mutationes, additiones, deletiones in Cæremionali factas, cum tantem expediat suis in locis inserere, ut typis committatur, electus est ad hoc munus peragendam P. D. Bartholomæus Gavantus.* Quod ita absolutum numeris omnibus edidit, ut major diligentia nunquam fuerit desiderata. His non contentus, alios erudiendi studio tenebatur, cum occasiones omnes arripiebat, ut ad Ritus suos informaret, tum exteris aditum dabat ipsum sciscitatum conveniendi. Fortasse nimius, ac scrupulosus aliquibus videbatur, cum minima quæque errata reprehenderet: Nec publicum subire periculum sui ordinis Clericos, & Sacerdotes facile patiebatur, quos, & probe tenere ritus, & privato experimento accuratè exequi, ipsi non esset perspicuum. Manuale Episcoporum componere aggressus brevi absolvit, & libros de Visitatione, & Synodo luculentos addidit, volens Præsulibus, & Parochis gratificari, in quibus ita dilucidè, ac distinctè omnia, quæ Visitationis tempore peragenda sunt, quæque Synodo cogendæ, ordinandæ, ac dissolvendæ necessaria, prosecutus est, ut nihil ante id tempus fuerit accuratius publicæ utilitatis gratia conscriptum: Quibus editis libris egregium adeo nomen consecutus est, ut in ore omnium esset Gavantus. Multi Cardinales, & Episcopi ejus teneri desiderio cæperunt, & ipsum litteris petere, ut eorum Synodis præsens omnia ritè disponderet, seque beatos prædicabant, cum ab ipso Romæ tot occupationibus præpedito, hoc poterant obtinere. Cræmonam se contulit Cardinali Campori, Neapolim Cardinali Francisco Boncompagno, Spoletum Cardinali Alphonso Vicecomiti, Ferrariam Cardinali Magalotti, Perutiam Neapolioni Comitolo, Eugubium Carpegna, Mutinam Rangoni Episcopis, ut morem gereret, quorum Synodis ut Rituum Magister præfuit. Derthonæ etiam, ac Novariæ interfuit Synodis, à Cosimo Dossenio, & Carolo à Basilica Petri coactis, qui ejus opera frequentius utebantur, quum fraterna quadam cum ipsis intercederet necessitudo, quod Clerici Regulares ejusdem Congregationis, Episcopi fuerint renunciati; secundæ etiam Synodum edendam diligenter curavit. Præterea Card. Bonvisius Barii Archiepiscopus, Patavinus, Cremenensis, Assisientis, & Ariminensis Episcopi, dum Diocæses inviserent suæ commissas sollicitudini, ipsum comitem adhibere, ut Clerum iis studiis, quibus ipse excellebat, imbueret. Cum Romæ moraretur Card. Tiberius Muti, frequenter ipsum adibat, dubitationes proponebat suas, & ab ejus responsis ne latum quidem unguem discedebat. Cardinalis Asculanus cum Maceratæ celebri pompa Sacra facere aggrediretur, Clericos suos, & Cæremoniæ Magistros commonefecit his verbis: *Gavantus præsens est.* Nec intra Italiæ oras ejus fama contineri potuit, sed ad remotiores Provincias pervasit. Germaniam primò, dein Galliam penetravit. Cum Eminentiss. Card. de Arach Pragensis Archiepiscopus sibi maxime necessarium esse intelligeret abusus complures, qui negligentia, & incuria quadam in Ecclesiam suam irrepsérant, tollere, & Ecclesiæ suæ Ritus ad Romanæ Ecclesiæ Cæremônias conformare, sæpe illum invitavit per Epistolas, comitatis plenas, ut Bohemiæ iter aggrediretur. Neque ullis Gavanti exculationibus moveri potuit, ut à proposito discederet, eum Pragam invitandi. Tandem pene litteris ejusdem Principis obrutus, Urbanum VIII. Supplex adit, precaturque ut potestatem sibi faciat Roma discedendi, ut tanto Præsuli obsequatur: Postulata tamen facere noluit Pontifex, sed *Rescribit*, inquit, *te auctoritate nostra Universæ Ecclesiæ beneficio in Breviarii*



*Romani emendatione occupatum.* Meliori consilio usus est P. Bondier Gallus ordinis S. Benedicti, eruditione cum paucis conferendus, qui sex vicibus Romam Parisiis venit, cum ut Sacrarum Cæremoniarum usum edisceret, tum ut librum de Ritibus, quem typis committere meditabatur, ejus sententia, quæ plurimi apud intelligentes erat, firmaret; In cujus præfatione quanti ipsum faceret, declaravit his Verbis: *Juravi in verba hujus Magistri.* Quod si serius supremum diem obiisset, ab universo Galliarum Clero postulatus fuisset, ut Pontificale Gallicum emendaret, quod multi illius Regni Episcopi summopere exoptabant. Sed urinæ copia, & difficultate morbum periculosum nactus, Mediolani in lectum decidit, integris tamen semper sensibus. Cardinalis Trivultius, cujus erat in amicitia, ipsum in extremis diebus, cui ille in cubitum nixus pro tanto beneficio gratias humiliter egit, tantam humanitatem in Viro Clarissimo multis commendans. Hinc Medicorum consilio in cubiculo deambulare conatus est duobus innixus Patribus, qui ipsum viribus penè destitutum ad latera sustentabant; Expleta brevi ambulatiuncula: *Nunc cubitum eatur*, dixit, *extrema instat virium defectio.* Hæc semihoræ spatio, antequam animam efflaret, protulit; Quo tempore Supremus Congregationis Moderator superveniens à studiorum recognitione, ut valeret, interrogavit, cui ille: *Morti proximus, quam tamen quinquaginta annis sub obedientia vixerim, non petita facultate, & Paternitatis quæ benedictione discedere haud poteram.*

Interea ingravescente morbo Patres ipsum extrema unctione munire festinabant: Accidit autem quod qui illam ministrabat, partim dolore, partim periculo actus, palmas, ut moris est in sæcularibus viris, vellet inungere, quas ille invertens, inquit: *Dorsum manus Sacerdotibus fas est illinire;* In quibus verbis Rituum Sacrorum Magistro maxime congruentibus decessit, ætatis suæ anno LXVIII. Domini verò MDCXXXVIII. pridie festum Assumptæ in Cælum Virginis, in qua colenda, præterquam quod diebus singulis ipsius officium recitabat, & precationem, quam Coronam vocant, adhibebat, nullum studii genus vitæ suæ cursu prætermiserat, quo ejus dignitatem amplificaret; sepultusque est in Ecclesia D. Barnabæ. Gavanti statura mediocris fuit, forma elegans matura ætate venerationem conciliabat. Frons ampla, & prominens; subrubeus Capillus, & barba, Nasus aduncus, magni oculi, & subnigri, erecta Cervix, omnia denique ad multam auctoritatem à natura ei accommodata. Robustum Corpus sortitus, tam prospera usus est valetudine, ut ferè nunquam medicina indiguerit; sique ei clausum repente non fuisset ulcus fluidum in crure, quo redundantes expellebat humores, in annos plurimos vitam producturum periti viri judicaverant, sed ad finem perductis multo cum detrimento Ferrariæ, & Cremæ Synodis, versis in urinam humoribus, eaque per totum corpus diffusa, paucis diebus copia pene suffocatus fuit. In dictis cum suis jocabatur relaxandi animi gratia ita ingeniosè, & festivè, ut ejus consuetudinem omnes appetere, venustis enim ejus, argutisque facetiis mira voluptate capiebantur. Nec tantum in sacris Cæremoniis illustrandis vitam traduxit, sed quod præcipuum est, virtutibus animum exornare studuit semper, & præter quæ sparsim in ejus vita attigimus de salutis animarum zelo, de perpetuo Dei cultus studio, de singulari in Beatissimam Virginem obsequio, quæ Deo voverat Religiosorum more, quandiu vixit religiosissimè servavit. In Choro cæterisque Ecclesiasticis functionibus assiduus, quamvis Conciones habere, Præsulibus inservire in Diœcesum visitationibus, & Synodis frequentissimè deberet. Humilitatem mirificè coluit. Etsi enim Summis Viris Episcopis, Cardinalibus, Pontificibus acceptissimus esset, innumeræque Civitates, & Amplissimi

Præ-



Præsules ejus desiderio flagrarent, summis honoribus afficerent, Ipse tamen nihil sibi in tanta Doctrinæ fama arrogare, sed Deo acceptum referre cum gratiarum actione solebat. Corpus affligebat suum, ac inter cætera flexis semper genibus officium persolvebat, nec unquam sedendi facultatem à præpositis petiit, vel ipse Superior commodis suis indulgit, licet ob nervorum vitium in cruribus stare non posset. Eximium extremo vitæ suæ tempore tolerantia dedit exemplum; Vexatus acerbissimis doloribus nunquam questus est, & quum rogasset qui aderant, ut sibi auxiliarentur, quo se posset in aliud latus componere, doloris acerbicatem paulisper moderaturus, statim postulata corrigens: *Hæc, inquit, morti proximus delicias quero.* Studiorum fuit egregius Cultor, & amplificator, & præter Conciones, & libros typis commissos, quos supra significavimus, de Capituli Generalis mandato vitam, & res gestas Venerabilis Servi Dei Cosimi Dosseni, primum Generalis Cler. Reg. S. Pauli, dein Derthonensis Episcopi, Italica lingua descripsit, quæ calamo exarata in Tabulario supremi Moderatoris asservatur. Ejus tandem virtuti Congregatio nonnulla debet constituta Collegia. Cum enim Genuæ Quadragesimali tempore Conciones habuisset, invitatus à Card. Horatio Spinula Archiepiscopo, tantum cuius hominum generi placuit, ut eum Ordinem expetere cæperint vehementer omnium vota, & libens Respublica facultatem ultro faceret in ea tam celebri Urbe commorandi, & Collegii ædificandi, cui ipse primus præfuit. Fulginei idem accidit; Expleto Quadragesimali labore certatim ei varias Ecclesias, ac pia loca Cives offerebant, ut domum ibi construeret: Placuit Bartholomæo locus, quem Misericordiam nuncupabant, & cum jacta essent nostræ Ecclesiæ fundamenta, curavit Carolo Borromæo dicatam erigi, ut in Umbria unam saltem Ecclesiam eximie vir Sanctitatis obtineret: Quod testatur Ughellus in Italia Sacra his verbis: *Porphyriu Felicianus Patribus Barnabitis locum Fulginei fecit, qui adificato Templo, primi in Umbriam S. Caroli Cardinalis invexere venerationem.* Interim in veteri Ecclesia sæpius concionari, sacras obire exercitationes, Sacramentorum usum promovere, & ardenti quo flagrabat zelo, assidua sollicitudine, & conatu omni animarum lucra querere cepit. Sed (ut frequentissime assolet) non absuit bene actis invidia, & livor. A quibus minus debuerat, probris, maledictis, contumeliis, falsisque criminibus impetitus, absente Episcopo, Romam profecto, etiam à Concionibus habendis, à Confessionibus excipiendis prohibitus, & interdictus fuit: Sed brevi virtus invidiam superavit. Quandoquidem ad Ecclesiam reverso Episcopo, quum penè universa Civitas ejus causam ageret, cognita criminationum falsitate, non modo utraque ei restituta facultas, sed multis laudibus ejus studia approbata fuere, quapropter quotidie ministrare Sacramenta, & diebus Festis Evangelia exponere, & rudioribus elementa fidei explanare, quandiu Fulginei mansit, consuevit diligentissimè. Tantis autem vexationibus circumventus insigne habuit solatium, amicitiam scilicet V. P. Jo. Baptistæ Vitelli Fulgmatensis (Patrem enim Cives appellare, & D. Philippus Nerius Sanctum consueverat, quamvis vir esset Sæcularis) cujus ope, & auctoritate in tanto discrimine facilius invidorum artes delusit, quod nobis ejus probitatis argumentum est singulare, qui in intimam tanti Viri familiaritatem venire potuit, & ejus Patrocinio defendi. Perulinum etiam Collegium ejus nomini attribuitur: Enim verò Neapoleo Comitulus, qui Romæ ipsum noverat, idoneos Ministros Ecclesiæ suæ comparare volens, Colleg. Cler. Reg. S. Pauli munificè Perusie crexit, & duos ex illis in Majori Ecclesia sacra Penitentiaria perpetuo munere decoravit, tantique Bartholomæum fecit, ut totius Diocesis visitationem amplissima facta facultate res omnes sacras recognoscendi, ipsi committere non dubitaverit, quam ille quadraginta

(Tom. 4. col. 776.)

S s s 3

die-



dierum spatio feliciter absolvit. Nec favere destitit ullo unquam tempore ejus existimationi Congregatio, sed ejus amplificare dignitatem studuit semper. In Præpositum electus fuit Collegiorum S. Pauli Bononiæ, S. Erculani Perusiæ, S. Alexandri Mediolani, S. Pauli Genuæ, S. Mariæ Lauretanæ Spoleti, S. Caroli Fulginei, in quorum administratione, & majorum instituta observari curavit diligentissimè, & rarâ facilitate usus est: Dein Provincialis Romanæ Provinciæ, & Visitator Generalis, pluries in Generalibus Comitibus Cancellarii munere functus; Postremo Assitens Generalis creatur; quo in munere finem vivendi fecit, & Congregationi, quæ ejus memoriam æternam servabit, Ecclesiæ, & Summis Pontificibus, qui ut tanti viri merita remunerarentur, alios elegerunt ex eo ordine diversis temporibus, qui ejus locum in Rituum Congregatione occuparent, & superioribus annis Benedictus XIII. perpetuum Consultoris officium in Barnabitarum Congregatione decrevit; postremo bonis omnibus, & eruditis sui desiderium reliquit. Ultra hæc pauca, quæ cursim attingi, alia non pauca, nec levia de hoc viro, fama, & traditione loquente, commemorare audivi: Sed nihil quod fidem scribentis in dubium vocare posset in medium proferre volui, maluique sobrius haberi, sed verax, quàm nimis facilis, & credulus. Scio in ea illum vixisse Congregatione, quæ virtutes colat magis, quàm jactet: atque ideo, plura me, jussu præsertim ea, quæ possem, properato colligere, latere potuisse. Ipse sibi sufficiens, ultra innumeros, qui de illo cum laude scripserunt, Laus, & Commendatio est.

FINIS.



INDEX